



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

IN EPI. PAULI AD THES. II. 63

dignissimus, quod scilicet oportet eos seduci signis  
medacibus, & efficaciter decipi, errare & labi: id est,  
credere mendacio, qui dilectionem ueritatis non rece-  
perunt, ut salui fieret: quod iudicium tanto magis hor-  
rendum; quāto minus uidetur. Quartus locus cap. 3.  
est excommunicatio illorum, qui prætectu religionis  
aliorum labore uictitare quærent.

CAPVT I.

Augescit, &c.

**F**ides sola cum deo agit, & cum deo nos coniun-  
git. Opera uero fidei, id est charitas, proximo  
seruiūt gratis, nulla meriti habita ratione, sicut Chri-  
stus seruiuit nobis. Augescit uero dicit, & exuberat  
quod hæc semper crescant (ita omnia iudicate ex uer-  
bo dei) prouehente nos spiritu, ut nemo possit glo-  
riari se iam adsecutum, ut dictum est in epistola ad  
Philippenses.

Adeò ut & nos ipsi de uobis  
gloriamur in ecclesiis dei.

*Profectus ouium gloria est pastoris. Cur ergo hoc  
agit Paulus, qui alibi dicit, Qui gloriatur, in domino  
glorietur? Respondeo: Nunquam gloriari Paulū, nisi  
in domino. Hic autem duplici ratione in domino glori-  
atur. Primū collaudans dei misericordiam, & spiritus.*

ANNOT. IOANNIS POMERANI

sancti efficaciam in his, qui susceperunt uerbū. Deinde hoc ipsum faciens coram alijs ecclesijs, ut pio exemplo et ipsæ cupiant sic à deo prouehi, quo adhuc latius dei gloria, & sanctificatio nominis eius propagetur. Quomodo enim in his Paulum non dei querere gloriam sentire poteris, qui de his ipsum deo semper & insinuatim gratias agere uides?

Documentum, &c.

Id est, unde appareat, & notum fiat, siue iustificetur iustum dei iudiciū, quo uos dignos habeat suo regno, & persecutores damnatione. Regnum dei nunc intra uos est, sicut Christus dicit in Luca. Quod quia satis nondū adprehendimus, atq; adeò adprehendere non possumus satis in hac uita, oramus semper, Adueniat regnum tuum. de quo diximus in epistola ad Collossen. Verum nondū uidetur, uidebitur autem, quando (ut hic dicitur) uenerit Christus, ut glorificetur nō solum in seipso, sed & in omnibus membris suis, id est sanctis, siue credentibus omnibus qui pertinent ad regnū eius. Hæc quoq; sicut sæpe diximus, uides ad rho. 8. & 1. Ioan. 3. Ita quoq; iudiciū dei iam dānauit impios, qui frustra dei nituntur opprimere ueritatem, & eos qui non credunt Euangelio. sicut ipse dicit Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est, qui non credit in nomine unigeniti filij dei. Sed hoc iudicium nunc non uidetur, uidebitur autē quando reuelabitur, qui nunc

IN EPI. PAULI AD THES. II. 64

ab impijs non creditur uenturus dominus Iesus de cœlo cum angelis potentie suæ, cum uirtute multa, siue exercitu multo, & maiestate, ut dicitur Matth. 24. Cum incendio flammæ, quæ incēsura est inimicos eius in circuitu, ut dicitur Psal. 96. & 49.

Nota quod digni sunt regno dei, qui pro eo patiuntur, non quod hinc meritū cogites, quod scriptura nō sustinet, nec fides nouit: sed quod hoc quod pateris, deus pro digna re acceptet, quam ipse & uult & potest remunerare. Sic enim dicit, ut digni habeamini regno dei, habeamini scilicet à deo. Sed ais: tamē hic dicitur, quod deus reddet alijs pœnam, & interitū non interituum: alijs relaxationem, id est liberationem ab omnibus malis, & præterea gloriam æternam. Respondeo: Vbicunq; hoc tibi uidetur in scripturis, dupliciter intueri quid scriptura uelit, fidem commendat, & infidelitatem damnat deus. Verum nos ista uidere nō possumus, nisi ex fructibus. Cum ergo scriptura propter nos scripta sit, non potest nobis fidem aliorum, Ro. 15 uel infidelitatem ostendere, nisi ex operibus, sicut ait saluator: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Scribit igitur, non raro, deum redditurū unicuiq; iuxta opera sua. Certe opera absq; hypocrisi bona ex fide ueniunt, alia ex infidelitate. Illa ergo à deo præmiū uitæ accipient, hæc mercedem mortis. Illa dedit deus fidelibus, ne iterum merita cogites, ut dicitur ad Philipenses 1, Vobis donatum est pro Christo, non solum ut

*Lulus*  
*ex f.*  
*in fide Lulus*

ANNOT. IOANNIS POMERANI

in eum credatis, sed & ut pro illo patiamini: dignos enim iudicat pro sua bona erga illos bonitate, quos illuminet. Hæc uero ab impijs abesse non possunt, quos deus indignos sua gratia iudicat, & in sua obstinacia & infidelitate dimittit. Sed quare illos suscipit, hos derelinquit: respōdet tibi Paulus ad Rhom. 9. &

11. O homo, inquit, tu quis es qui respōdeas deo? &

In die illo.

Martinus: Quia nostro testimonio ad uos in hoc tēpore credidistis. alioqui non est apta sententia, tunc admirāndus fiet Christus in credētibz, quia nūc suscipistis à nobis eius uerbum, qd' testificati sumus ad uos.

Ad quod etiam oramus,

Vt istam uocationem, qua uocauit uos per Euangelium, perficiat cum potētia spiritus sui operantis in uobis ad gloriam nominis eius, & uestram per illum, secundum gratiam eius & Christi. Quibus uerbis uides quā omnia merita à nobis auferat. Vocatio est dei, operatio profectus est dei, cōpletio salutis nostra est dei, & omnia per Christum. Hæc alibi quoq; diximus, uel in epistola ad Philippenses.

CAPVT II.

Quia dixerat Paulus in epistola superiore de subito & insperato domini aduentu, & inter cetera